

IX. Malè ex Marc. III. 29. concludit Ph. Limborchius, peccatum in Spiritum S. illud tantum esse, quo opera miraculosa, à Christo virtute Spiritus S. patrata, Diabolo adscribuntur.

X. Tamen ex hoc ipso loco rectè colligitur, illud in irreginitum etiam cadere, sed ad internam usque convictionem illuminatum.

XI. Infantes non sunt sine actuali peccato, ob solum tamen originale peccatum, nisi fide donentur, damnari possunt. Marc. XVI. 16.

XII. Multò minus Maria Deipara peccato exempta fuit. Rom. III. 23.

Disp. XVII.

De

Libero Arbitrio.

I.

UT notitia DEI ex naturâ vera; ita & vera ad legem naturæ conformata, dantur opera, quod iisdem ferè verbis testatur Paulus, Rom. I. 18. II. 14. Quæ tamen ad perfectionem, quam in nobis imputando efficiendoque operatur Spiritus sancti gratia, collata, vera non est, sed mendax. I. Joh. II. 4.

II. Has interiores naturæ vires non ipse homo, sed DEus, merito Christi motus, dirigit ad inqvirendum veriorum DEI cultum. Act. XVII. 27. Unde & Pædagogicæ dicuntur, Gal. III. 24.

III. In se consideratae ad naturam pertinent; quæ ex intentione DEI ad salutem diriguntur, ad gratiam, non quidem pressè, (quo sensu gratia non agit nisi per verbum & Sacramenta;) tamen analogicè acceptam.

IV. Non sunt tolerandæ hæ & aliæ id genus propositiones; Synergistarum: jacto prædicationis fundamento posse hominem aliquid, quamquam languidum & modicum, ad conversionem suam conferre; Majoris: voluntatem esse *συνείησιν* conversionis; Rathmanni: in naturâ hominis

minis